



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

9. S. Apollonia Virgo, & Martyr

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

228 IX. Februarii. S. Apolloniæ V. & M.

temus defunctos ! audiemus lugubre  
miseremini ! miseremini saltem vos Dei  
amici intimi ! Clamor hic timendus &  
nobis , si misericordiam modò non fe-  
cerimus erga defunctos.

*Instructio meritoria.*

Amor non patitur moram ! adhuc  
oremus hodie pro defunctis eorum of-  
ficium cum uno nocturno , & omnia  
opera totius diei solis in purgatorio  
captivis applicemus. Hoc pretium est,  
quô frater redimit fratrem & quid faci-  
lius ? Carbones mi fili ! nescimus, quâm  
acuti sint in urendo ! aliàs tentaremus  
majora.

Festum S. Apolloniæ Virg. &  
Martyris in dolore dentium Patro-  
næ Amabilissimæ.

**EXHORTATIUNCULA I.**

**C**or ubi Dei ardet amore , tormenta  
non sentit, sint etiam gravissima.  
En ! dentes suos offert lictoribus Apol-  
lonia ; sed hilari mente. Quanta in  
Virgine fides ! qualis & pro Deo con-  
stantia !

In-



*Instructio meritoria.*

Quid non merebimur à Deo, si de-  
votè honoraverimus S. Apolloniam?  
merebimur certè pacem, & quietem à  
dolore dentium. Per octo igitur dies  
quotidie recitemus hymnum de com-  
muni Virginum ex Vesp. *Jesu corona*  
*&c.* cum oratione de Festo. Honorat  
Deum, qui Sanctam. Honorantibus au-  
tem omnia cooperantur in bonum.

II.

**I**N accensum rogum, divinò acta spi-  
ritu, liberè insilit, & suâ fortitudine  
tyrannum cum tortoribus triumphavit.  
Violenter agendum, mi fili! ubi peri-  
clitatur Nomen Dei, & propria salus.  
*Frigidum nolle non sufficit.* Grandia fa-  
cere, & fortia pati Christianorum est.  
Ergò & nostrūm.

*Instructio meritoria.*

Per manus S. Apolloniæ tres actus  
mortificationis externæ offeramus SSS.  
Trinitati, & pro obtainenda fortitudine  
Christianæ addamus *Officium de S. Cruce.*  
Qualis Magister, talis & discipulus; ille  
in Cruce, ita & nos.

K 7.

III.

## III.

**F**illi! dolores advertimus, & morbos  
in corpore? quid tum? patitur so-  
lum homo; gaudet verò Deus cum ani-  
ma. Inspiciamus Crucifixum, & eva-  
nescet omnis dolor cum tristitia. Quid  
enim omnis passio nostra ad paßionem  
Jesu? In manu nostra est, si velimus, fer-  
rum convertere in aurum. Sæpè cru-  
ces non sunt, quas credimus esse.

*Instructio meritoria.*

Dum hic patimur, redimimus, quæ  
sustinenda in vita altera. Pro gratiarum  
actione offeramus 33. *Pater & Ave*  
cum *Credo*. Tot enim annis pro nobis  
passus est Dei Unigenitus. Ah! & nos  
unâ horâ sub adversis, & minùs prævisis  
casibus fatiscimus! desperamus!

**Solemnitas Matris Matrum, &**  
**Sororis SS. Patris Benedicti Castis-**  
**simæ S. Scholasticæ Indulgen-**  
**tia plenaria.**

**EXHORTATIUNCULA I.**

**F**illi! congaudeat sibi de hodierna festi-  
vitate. Est enim dies Matris vestrae si-  
cut